

De fabula togata, palliata et praetexta.

Quae de Romanorum fabula hucusque disputata sunt, ea omnia fere ita in dubitatione sunt posita, ut vix ullus sit harum litterarum locus, in quo docti earum perscrutatores ad unum omnes consentiant. Haec vero sententiarum diversitas non semper ex eorum oritur culpa, qui has quaestiones exercent, quasi omnis artis ac rationis sint expertes, immo altius iacent erroris fundamenta, quippe insita grammaticorum antiquorum scriptis. Sunt enim hi homines non solum, si paucos excipias, revera ignari, alter alterius scripta compilantes, sed etiam saepe numero falsa veris miscendo ita omnia confundunt, ut, qui eos bona fide sequatur, vix ad lucem evehi possit. Quamobrem is, qui ex Latinarum litterarum historia partem aliquam inlustrandam sibi proposuerit, caveat callide et circumspecte, ne istorum manu ductus in devia et inexplicabilia delabatur: ceteros potius, quotquot sunt aevi optimi scriptores, primo consulat, ac deinde demum, quando fixum aliquid apud animum statuerit, evolvat illos.

§. 1.

De togata.

Togatam fuisse appellatam a toga Romanorum propria, togatam igitur esse fabulam Romanam Romanique argumenti, quum nomen ipsum tum poetarum et grammaticorum loci clamant. Priorum ante omnes audiendus est Horatius art. poet. 285:

Nil intentatum nostri liquere poetae,
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta
Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.

Ambo igitur et qui praetextas et qui togatas scribunt, domestica facta celebrant, Romanorum igitur res gestas in scenam producunt; sed quaeritur, quae sit differentia inter praetextas et togatas. Horatius quum in versibus antecedentibus poesis Graecae dramaticae historiam paucis lineis adumbraverit, tragoediam v. 275—280., comoediam v. 281—284. recensuerit, deinde vero addat, Latinos quoque suo Marte stelisse et praetextas et togatas docuisse: hac ipsa concinnitate significavit, praetextam tragoediae esse comparandam, *togatam comoediae*. Huic rationi consentaneum est, quod Afranii — quem comoediarum scriptorem esse omnes uno ore profitentur — *toga* ab eodem Horatio epist. II, 1, 57. adfertur:

Dicitur Afranii *toga* convenisse Menandro.

Huc porro vocandus est versus Manilii Astron. V, 482. a nemine adhuc in iudicium prolatus:

Aut magnos heroas aget scenisque *togatas*.

Sed quum sensus poetae non possit percipi, nisi integram sententiarum seriem transscribamus, opus erit, ut nexum indicemus. Vaticinatur enim astrologus, eum, qui sub sidere Cephei sit natus, poetam esse futurum, qui scelerum facie rerumque tumultu gaudeat, qui bella Thebana dicat, Medae natos et mille alias rerum species in carmina ducat, si studio scribendi mitior sit, ipsum comica spectacula laetis ludis esse compositurum; deinde pergit v. 477:

Et si tanta operum vires commenta negarint,

Externis tamen aptus erit nunc voce poetis,

Nunc tacito gestu; referetque affectibus ora,

Et sua dicendo faciet, solusque per omnes

Ibit personas et turbam reddet in uno:

Aut magnos heroas aget scenisque togatas,

Omnis fortunae vultum per membra reducet,

Aequabitque choros gestu cogetque videre

Praesentem Troiam Priamumque ante ora cadentem.

Sensus primorum quinque versuum patet: si non poeta erit, at fabularum actor et talis quidem, ut quascunque partes agere possit. Qui sequitur versus: *aut magnos heroes aget scenisque togatas* eum Bentleius proscribit ut barbarum et qui mediam sententiam interrumpat; nos hanc Bentleii criticam proscribimus. Versus omnino aptus, sed obscurior aliquantum. Manilius enim de diversis loquitur personis, quas histrio scenis agat. Primo commemorat *magnos heroes*, tragicas itaque partes, deinde *togatas*, sine dubio comicas. Ita iam Pingreus non longe aberravit a vero vertens: „Il jouera tantôt le rôle des plus célèbres héros, tantôt celui d'un simple bourgeois.“ *Togata* quidem non est civis Romanus, sed proprie femina Romana. Histrio igitur non solum partes virorum, sed mulierum etiam aget; attamen non solum diversas personas in scena imitabitur, sed etiam

Omnis fortunae vultum per membra reducet.

Quaecunque fuerit fortuna sive laetissima, sive tristissima, per membra i. e. corporis gestu eam exprimet;

Aequabitque chorus gestu

et *χόρου* efficiet i. e. gaudii summos adfectus quasi saltans oculis spectatorum obiiciet,

coetque videre,

Praesentem Troiam Priamumque ante ora cadentem. denique extremos moerores et calamitates tanquam praesentes reducet. — Ita si poetam explices, conspirant omnia; nos vero illud adsequuti sumus, vocabulum *togatas* hoc quoque loco ad *comoediam* pertinere. Idem erit statuendum, si quis non feminam dictam esse putaverit, sed fabulam ipsam pro persona, quae in fabula appareat.

Seneca quoque quamvis nimium aliquantulum togatarum severitati tribuat, attamen eas proprie ad hilaritatem esse compositas, satis indicat epist. 8: „Quam multa poetae dicunt, quae a philosophis aut dicenda aut dicta sunt. Non attingam tragicos aut togatas nostras: habent enim haec quoque

aliquid severitatis et sunt inter comoedias et tragoedias mediae. Quod eas medias inter comoedias (scilicet Graecas vel Graeco more scriptas) et tragoedias appellat, id non nimium urgendum, sed ex sententiarum moralium solum copia, apud Plautum quoque obvia, explicandum esse videtur. Unde Fronto epist. II, 2: „Vel graves, ait, ex orationibus veterum sententias arriperetis, vel dulces ex poematis, vel ex historia splendidas, vel comes ex comoediis, vel urbanas ex togatis, vel ex Atellanis lepidas et facetas.“ Togatas revera ad comoediam pertinuisse, maxime etiam testatur Quintilianus X, 1., ubi poetas Romanorum comicos est enumeraturus: „In comodia maxime claudicamus — — Vix levem consequimur umbram, adeo ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem, quando eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint. Togatis excellit Afranius, utinamque non inquinasset argumenta puerorum foedis amoribus, mores suos fasus.“ Comicum huius fabulae genus etiam personis demonstratur, quas in ea fuisse accipimus. Cf. Serv. ad Virg. Aen. XI, 160: „Nam et in togatis victrices appellarunt, quae viros extulerunt.“ Erant igitur non solum voluptarii viri, quales apud Afranium, sed mulieres viduae et iuniores, ni fallor, quae constantes tenerent partes. Adde Schol. Iuvenal. I, 3. p. 572. (ed. Cramer.): „Tria sunt genera comoediarum, togata ex factis *vilium personarum* etc.“

Attamen exstat locus Statii Silv. II, 7. huc nondum advocatus, sed memorabilis sane. Lucanum enim notissimum poetam laudat Statius, quod non Phrygum ruinas et vias tardi reducis Ulyssi, sed domestica facta cecinerit. v. 52:

Tu carus Latio memorque gentis

Carmen fortior exseris togatum.

Carmen togatum hoc loco dictum est in universum pro Romano facta Romana tractante. Quamvis vero *carmen epicum togatum* diversum sit a togata, attamen probe appa-

ret, quomodo fieri potuerit, ut nomen togatarum in latius extenderetur. Paullatim enim notio hilaritatis et festivitatis e vocabulo *togatus* recessit, notio vero *Romanae* indolis ita invaluit, ut integrum completeret. Unde accidit, ut postea omnes fabulae ita vocarentur, quae Romano morum habitu essent praeditae, et tragoediae; et lusus tabernarii, etiam Atellanae ac denique planipedariae. Quae rerum confusio iam apud Diomedem ita invaluit, ut priorem usum rectum ipse probe gnarus abiiciat. Locum longiorem liceat integrum hic apponi Diomed. III. p. 436: „Initio Togatae Comoediae dicebantur, quod omnia in publico honore confusa cernebantur, quae Togatae postea in Praetextatas et Tabernarias dividebantur. Togatae fabulae dicuntur, quae scriptae sunt secundum ritus et habitus hominum togatorum, id est, Romanorum. Toga namque Romana est, sicut Graecas fabulas (487.) ab habitu aequae Palliatae Varro ait nominari. Togatas autem, cum sit generale nomen, specialiter tamen pro Tabernariis, non modo communis error usurpavit, quia Fauni (?) togatas appellant, sed et Poetae, ut Horatius, qui ait, *vel qui praetextas, vel qui docuere togatas.*“

„Togatarum fabularum species tot fere sunt, quot et Palliatarum. Nam prima species est Togatarum, quae Praetextatae dicuntur, in quibus imperatorum negotia agebantur et publica, et reges Romani vel duces inducuntur, personarum dignitate et argumentorum sublimitate Tragoediis similes. Praetextatae autem dicuntur, quia fere regum vel magistratum, qui praetexta utuntur, in huiusmodi fabulis acta comprehenduntur.“

„Secunda species Togatarum, quae Tabernariae dicuntur, humilitate personarum et argumentorum similitudine, Comoediis pares, in quibus non magistratus regesque, sed humiles homines et privatae domus inducuntur; quae quod olim tabulis tegerentur, communiter Tabernariae vocabantur.“

(Addit Diomedes tertiam speciem Atellanarum, quartam planipedis, denique differentiam adumbrat togatae praetextae a tragoedia, togatae tabernariae a comoedia:)

„Togata tabernaria a Comoedia differt, quod in Comoedia Graeci ritus inducuntur, personaeque Graecae, Laches, Sostrata. In illa vero Latinae. Togatas tabernarias in scenam ductaverunt praecipue duo, Afranius et G. Quintus. Nam Terentius et Caecilius Comoedias scripserunt.“

In hoc Diomedis fragmento insigni prima statim sententia notatu est dignissima, quippe quae nostrum probet enuntiatum, *togatam* revera ad nullum aliud fabularum genus, nisi ad comoediam pertinuisse: „*Initio togatae comoediae dicebantur.*“ Quodsi hoc verum est, si tempore Afranii vel Varronis certe togatae hilares et humiles rerum ordines tractabant, quid tandem est causae, cur nos in dinumerandis poetarum Romanorum carminibus ab hoc more unice vero consulto aberremus? Quae sequuntur apud grammaticum: „*quod omnia in publico honore confusa cernebantur*“ corrupta esse videntur et legenda fortasse: quod omnia in publico honore cum toga cernebantur. Togatas postea in praetextas et tabernarias fuisse divisas, id non recte elocutus est Diomedes. Praetextae nunquam ad comoedias pertinuerunt. *Tabernaria* vero, ut hoc brevi absolvam, nulla alia est nisi, quam nos rectius *togatam* appellabimus. Diomedes eam propterea *tabernariam* nominatam auguratur, quod scena, quum talis ageretur, *tabulis* tegetetur. (Aliter rem intellexit Isidor. XV, 2, 43.) Scilicet theatri Romani scena amplissima semper et ad tragoediarum ornamenta erat aedificata, ita ut parietem efficeret, fronti aedium vel templi etiam simillimum, columnis altis ornatum. Quum igitur humiles domus harum fabularum argumento poscerentur, opus erat, ut haec scena celaretur tabulis pictis. Idque factum esse plerumque, facile Diomedis poterimus concedere, sed illud falsissimum, ab hac re vocabulum *tabernaria* esse ductum;

a taberna enim procedit origo. Sic Attae *tironem proficiscentem* in taberna quadam fata sua passum esse, titulus paene indicat.

§. 2.

De palliata.

Quemadmodum de togata falsa posteriorum in litteras inducta est grammaticorum auctoritas, ita recentiorum culpa abstrusa et perversa de palliata tam trita est opinio, ut sane dubitem, an ulla virium contentione possit evelli. Opinantur enim omnes, quotquot has res tetigerunt, Ger. Io. Vossius, Signorellius, Dubosius, Osannus, Langius, Baehrius, Neukirchius, palliatae nomine significari fabulam a Romanis Graeco argumento et more scriptam, priores quattuor tragoediam quoque adnumerantes, ceteri comoediam tantum significantes; sed errant. Teste enim Diomede „*Graecae fabulas ab habitu aequae palliatae Varro ait nominari.*“ Quemadmodum Romanae fabulae omnes, ut opinatur grammaticus iste, ab habitu histrionum togatae nominabantur, aequae, Varro aiebat, Graecae a pallio, quo actores induti erant, palliatae nominari. *Graecae* vero fabulae, infucato sensu si accipias, nequaquam significare possunt Romana lingua et Graeco argumento scriptas, sed et Graeca lingua Graecisque moribus compositas. Varro igitur comoedias Aristophanis aliorumque Graecorum dixit nomine palliatarum insigniri. Eodem modo Diomedes hac appellatione usus est. Pergit enim: „*Togatarum fabularum species tot fere sunt, quot et palliatarum.*“ i. e. Romanorum *) dramatum tot exstant genera, quot et Graecorum; deinde componit praetextas cum tragoediis Graecorum, tabernarias cum ipsorum comoediis, Atellanas cum fabulis satyricis (Cf. Mar. Victorin. II.

*) Diomedem non intellexit Neukirch. de togata p. 53., quapropter mutationibus indulget, scripturus: „*Latinarum* fabularum species etc.“ recto quidem sensu, sed verbis falsis.

p. 2527. extr.), planipedem cum mimo. Insanum esset, si quis in hoc dicto nomen *palliatarum* acciperet tanquam Graeco-Romanarum, ut ita dicam; nam talium comoediarum profecto non exstant quattuor species. Attamen quaeri possit, quomodo Diomedes id Romanarum comoediarum genus nominaverit, in quo Graecae sunt personae et mores. Audias ipsum p. 487. extr. loquentem: „*Togata tabernaria a comoedia differt, quod in comoedia Graeci ritus inducuntur, personaeque Graecae, Laches, Sostrata; in illa vero Latinae.* Talem igitur non palliatam, sed *comoediam* nominari, clara ipsius testantur verba, insigne porro additamentum, Terentium et Caecilium comoedias scripsisse. Ex hoc igitur Varronis et Diomedis usu loquendi Plauti Terentiique fabulae comoediae, Aristophanis, Sophoclis, Aeschyli dramata palliatae sunt vocandae. Sunt etiam alii quidam interpretes, qui tacendo hanc sententiam amplectantur, quippe quum palliatam Romanis non adsignent, ut Euanthius de fabula: „Illud vero tenendum est, post *νέαν κωμωδίαν* Latinos multa fabularum genera protulisse: ut togatas a scenicis atque argumentis Latinis, praetextatas ab dignitate personarum et Latina historia, Atellanas a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae, Rhintonicas ab auctoris nomine, tabernarias ab humilitate argumenti et stili, mimos ab diuturna imitatione vilium rerum et personarum.“, ut commentator Horatii Cruquianus ad art. poet. 288: „Fabularum autem Romanarum genera quinque: stataria, motoria, praetexta, tabernaria, togata.“ Interpres Iuvenalis I, 3: „Togatae, inquit, sunt comoediae Latinae, *palliatae Graecae.*“ Quod addit: „quales Afranius fecit“ vel transponendum est post: Latinae, vel inscitiae grammatici tribuendum. Interpres Iuven. p. 571. (ed. Cramer): „Graecae etiam comoediae dicuntur palliatae.“ p. 573: „Palliata ad Graecos pertinet.“ Ipse Donatus in commentario de tragoedia et comoedia, qui ex diversorum scriptorum fragmentis conglutinatus esse videtur,

primo loco non significat, qualem palliatam esse existimet: „Fabula generale nomen est, eius duae primae partes sunt, tragoedia, et comoedia. Si Latina argumentatio sit, praetextata dicitur. Comoedia autem multas species habet: aut enim palliata est, aut togata, aut tabernaria, aut Atellana, aut mimus, aut rhintonica, aut planipedia.“ In his ad verba: „si Latina argumentatio sit“ supplendum est tragoediae. Duae igitur solae exstant species generis tragici, graeca quae *κατ' ἔξοχὴν* tragoedia, Latina, quae praetextata dicitur: „Comoedia autem multas species habet.“ Palliatam inter Romanas species prolog. ad Adelph. 7. omittit: „Sicut apud Graecos *δραῦμα*, sic apud Latinos generaliter fabula dicitur, cuius species sunt tragoedia, comoedia, togata, tabernaria, praetexta, crepidata, Atellana, *μικτός*, Rhintonica.“ Vides itaque, in priore loco palliatam facile pro Graeca positum esse posse. Ac revera ita saepius vocabulum illud usurpavit Donatus v. g. praefat. in Andriam: „Comoedia Andria, cum *palliata* sit, de loco nomen accepit, et a Menandro prius, et nunc ab ipso Terentio.“ Clarius etiam in praef. ad Eunuchum: „Haec masculini generis nomine nuncupata fabula est Eunuchus, et est *palliata Menandri vetus*, quam ille auctor de facto adolescentis, qui se pro enucho deduci ad meretricem passus est, nominavit.“ Vides itaque, quomodo sit intelligendus idem Donatus ad Adelfhos praefatus: „Haec fabula *palliata*, ut ipsum indicat nomen, et plurali numero, quum sit una, et masculino genere, quum sit comoedia, et Graeca lingua, quum sit Latina, censetur — — est igitur Menandri.“ Quapropter adiicere iuvabit prima quoque eius ad Hecyram verba: „Haec fabula Apollodori esse dicitur Graeca“, ut perspicias, Donatum primo quoque principio fontem Graecum indicare voluisse.

Sed idem iste interpretis in loquendo parum sibi constans invenitur. Etenim in illo de tragoedia et comoedia libello, postquam de planipedia, de histriionum habitu et de Teren-

tianarum fabularum nomine quaedam addidit, quasi de integro orsus nova quaedam, fortasse alium quendam auctorem compilans, adfert, quae minime cum prioribus quadrare videntur: „Comoediarum formae sunt tres: palliatae, Graecum habitum ferentes; quas nonnulli tabernarias vocant, togatae iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes; Atellanae, salibus et iocis compositae, quae in se non habent nisi vetustam elegantiam.“ In qua Comoediae formarum, non fabularum omnium enumeratione sine ullo negotio cognosces differentiam palliatae a superiore loco. Cf ad Eunucho II, 2, 26: „*Coqui, factores* Comicum: nam in palliata Romanas res loquuntur.“ Phorm. I, 1, 12: „*Initiari* more Atheniensium, quod ut in palliata probandum est magis.“ I, 2, 75: „Lex ut in palliata recte ponitur: nam Graecorum fuit.“ Hoc autem loquendi genus, quo non solum Graecorum fabulae, Graecorum comoediae, sed Latinorum etiam Graeco ritu scriptae, *palliatae* nuncuparentur, acceperunt alii etiam interpretes, ut Acro ad Horat. art. poet. 288., Pseudo-Ascon. in Ciceronis divinatio. §. 48. (p. 119. Orell.): „*Actoribus Graecis* palliatarum scilicet fabularum. In his enim, etiamsi Latinae sunt, Graeca omnia servantur. Nam Latinae fabulae per pauciores agebantur personas, ut Atellanae, togatae et huiusmodi aliae; ac ideo actores Graecos dixit.“

§. 3.

De praetexta.

Nullo alio in loco tantum est doctorum discidium, quantum in opinionibus de hoc fabulae genere prolatis. Primum de nomine animadvertendum est, unam solamque rectam esse formam *praetexta*, falsam praetextata. Priorem habet Horatius in versu illo:

Vel qui praetextas, vel qui docuere togatas,
priorem etiam Pollio in Cic. fam. X, 32: „Ulla vero iam ne

Caesaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procons. sollicitandum posuit.“ ibid.: „Etiam praetextam si voles legere, Gallum Cornelium familiarum meum poscito.“ Probam lectionem retinuit etiam Paullus ex Festo: „Praetextae appellantur, quae res gestas Romanorum continent scriptae.“ Cornutus in Persii vita: „Scripsit etiam Flaccus in pueritia praetextam inductus(?) et cohoptus (*ἠδδοινορικῶν* alii) librum unum.“ Donat. prolog. ad Terent. Adolph. 7.

Quae forma quum apud Horatium, Ciceronem, alios omnibus codicibus sit firmata, quaerenda est etymologia. Omnes philologi et antiquiores et recentiores a toga praetexta nomen ductum esse censent, ita ut eam significet fabulam, qua viri praetextati in scenam prodeant. Quae si vera erat radix, nomen praetextata esse oportebat; quum vero praetexta sit, non a toga praetexta, sed a verbo *praetextere* originationo est ducenda. Praetexta igitur ea est fabula, in qua scena praetexitur. Cf. Valer. Max. II, 4, 6: „C. Pulcher scenam varietate colorum adumbravit, vacuis ante pictura tabulis extentam. Quam totam argento C. Antonius, auro Petreius, ebore Q. Catulus *praetexuit*. Versatilem fecerunt Luculli.“ Scilicet scena apud Latinos non est, quam nos sub voce *Bühne* intelligimus, sed, quod supra iam dixi, paries alte constructus, in aedium formam erectus, columnis denique decoratus, ex quo actores primarum partium, reges praecipue et duces prodire solbant. Scenam igitur praetextere significare potest et eam aulaeis ita componere, ut locus actionis facile possit commutari, et eam in universum praetentis tabulis ornare et obumbrare. Quorum utrumvis arripas, ad naturam fabulae praetextae quadrat.

Cuius indolem iam Niebuhrius, ut mihi videtur, perspexit, dicens eas non tragoedias quidem, sed tragoediis similes fuisse. Omnia enim clamant, praetextam nihil aliud fuisse, nisi id, quod nostrates *δράμα ἰστορικόν* vocare solent.

Comparat primo Horatius praetextam tragoediae Graecae, cui adsentitur Diomedes III. p. 480: „Poematis dramatici vel activi genera sunt quattuor: apud Graecos *tragica*, comica, satyrica, mimica, apud Romanos *praetextata*, tabernaria, Atellana, planipes.“ (Cf. Rhaban. Maur. de art. gr. II. opp. T. I. p. 46. sq. ed. Colon.), testatur deinde Paullus, eam *res Romanorum gestas* continere, Diomedes p. 487. narrat, in ea et imperatorum negotia publica agi, et reges Romanos vel duces induci; denique nomina praetextarum: *Decius*, *Brutus*, *Marcellus* satis indicant, talia fuisse carmina, qua viri patriae amantissimi Romanis in imitationem proponerentur. De Naevii Romulo nemo dubitare potest, quin ad patriae gloriam spectaverit, in Attii Aeneadis seu Decio haec ipsa verba eundem finem produnt fr. X. (Neukirch):

Quibus rem summam et patriam nostram quondam
adauctavit pater.

item in eiusdem Bruto versus fr. III:

Haec bene verruncet populo: nam quod ad dexteram
Coepit cursum ab laeva signum praepotens, pulcherrume
Anguratum est, rem Romanam publicam summam fore.

in eodem fr. IV:

Tullius, qui libertatem civibus stabiliverat.

Pacuvii quidem *Paullus* et si alicuius scriptoris *Marcellus* exstitit, sine dubio L. Aemilium Paullum, qui iterum consul in funesto ad Cannas proelio omni sua culpa liber supremum diem obiit, et M. Claudium Marcellum, qui quintum consul Hannibalis insidiis circumventus strenue et acriter resistens haud procul a Venusia occisus est, spectant, ut iam Neukirchius p. 73. et 95. recte vidit. Quae argumenta quamvis tragoediis sint similia, attamen non vulgarem illam animi infractionem et demissionem in iis fuisse censeo: verum enim vero quum mors pro patria oppetita omnium rerum a Romanis praedicaretur gloriosissima, non vereor, ne haec quoque fabulae praeconia magis illustrium illorum

consulum redditae, quam in eiulationes et lamenta fuerint demissae.

Quae quum ita se habeant, accuratius aliquando loca respicienda erunt, in quibus hae fabulae actae fuerint. Primum notandum est, non Graeciae, neque Scythiae, neque Asiae, sed Italiae ea fuisse regiones notissimas. Unde nequaquam aptum quid opinor ab aedilibus esse factum, si spectatoribus tabulas quasdam pictas omni veritate carentes proposuissent, sed opus erat, ut species ad imaginem veri effictae talibus spectaculis adhiberentur, oppida ergo et moenia vel templa saltem a pictoribus recte describerentur. Attamen ne *σκέψεως* amantissimis latus, quo me petant, nimis apertum praebeam, hanc coniecturam probabilem quidem, sed certis argumentis carentem; non vehementer urgeo, si quis acrius neget. Illud autem tenendum arbitror, unum quem vocant locum in praetextis nequaquam fuisse. Etenim ut Attii *Decium* proponam, superest fragmentum (XI.), in quo haec vociferatur aliquis:

Castra haec est. Optume est is meritus de nobis.

Ex quo apparet, in scena Romana proculdubio castra vel aggerem vallosque certe fuisse constructos. Fragmentum autem VIII. portentum indicat, quod acie instructa, in campo itaque latiore, se obtulisse, Livius auctor est. Funus denique Decii sollempnis alio rursus loco parari oportuit, quam in ipsis castris; pyra fortasse conspiciebatur. Itaque in hae una praetexta triplex adhuc locorum variorum apparatus ex paucis reliquiis potest cognosci. *Brutum* quoque si non diversis oppidis, at locis urbis Romae, modo in Lucretiae cubiculo, modo in foro agi, fragmenta testantur. Niebuhrii quoque sententia H. R. I. not. 1150., quaedam ad Ardeam tractari, refelli nequit. Revera igitur hae praetextae erant fabulae, in quibus scena magno opere et apparatu praetextebatur, tales revera, in quibus ampla adhibebatur pompa.

Bonnae, die 14. Maii 1839.

L. Lersch.